



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XXI. Quid Vestis Nuptialis significet? Dominica XIX. Post  
Pentecosten. Amice quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?  
Matth. 22. v. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

grefcit liliū. lemma ꝛ indicium milititer ex malitia oris & operis praecordis. ex nigrore videlicet liliū in- vitatem cordis concludamus. fectionem radicis colligimus ; fi-



## PROBLEMA XXI.

Quid Vestis Nuptialis significet ?

### DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

*Amice quomodo huc intrasti non ha-  
bens vestem nuptialem? Matth.*

22. V. 12.

§. I.  
Cultiori  
vesti ad-  
scribit cō-  
viva ad-  
missionem  
ad epulas.

**N**arrant mercatorem Florentinum in more positum habuisse, ut singulis Dominicis, festisque diebus ad frugale admitteret epulum, quotquot prandere unà luberet, dummodò honesto præditi amictu comparerent. Accidit aliquando Civem ingenio, quàm opibus locupletiore ad mercatoris comparere januam, atque ad solitum prandium cupere admitti; verùm quia laceris indutus erat vestibus repulsam pati debuit, donec comparato nescio unde honestiori vestimento compareret denuo ad mercatoris ostium, ubi sine mora admissionem impetravit. Qui, dum prandium hilariter peractum esset, & convivæ cæteri modimpe- ratori suo liberales referrent gratias, tunicam exiit, & non hospiti, sed vesti gratias egit, quòd huic præ illo admissionem ad epulum deberet. Vesti itaque profundissimam reve-

rentiam exhibuit, osculum fixit, gratiarum verba protulit, & gratitudinem non sine spectantium joco, planctūque dixit. Quidsi & hodierni Evangelici convivæ, gratias potius vesti, quàm Regi egissent, quòd ad nuptiales recepti epulas, lautissimè festivissimèque habiti sint? potuissent sanè, nisi vestem nuptialem non alteri, quàm ipsimet Regi in acceptis referre debuissent; ab hoc enim non tantùm gratiosè invitati, sed & congruis vestibus donati sunt, ut nisi sordidi esse vellent, malè vestiti comparerere non possent. Verùm cum hæc vestis Evangelica non corpus ornet, sed animam, (sicuti epulum non est sensuum, sed affectuum) quærere meritò quis possit, quid ea vestis propriè significet, quàm nos indui Rex supremus tantopere desiderat, ut non nisi bene vestitis convivium regale indulgeat, carceres alioquin & compedes, æternaturaque supplicia minetur? Omifis plurimis interpretum opinionibus,

Problemata P. Philippi Hartung.

Q

bus,

bus, tres solummodo in medium proferam, & pro bona intentione definiam. Sit hæc *Intentionalis Questio*, quæ in bonam, quam præviè Auditoribus meis inesse cupio, resolvetur intentionem.

§. 2.  
Per Vestem Nuptialem intelligi potest Gratia Sanctificans.

Potior Doctorum pars cum magno Augustino per Nuptialem vestem *Gratiam* intelligit *justificantem*, vestem omnino pretiosam, de qua Doctor Angelicus: *bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi*. Nulla res in toto orbe cum illa (gratia) potest comparari, inquit S. Chrysostomus & D. Augustinus in *Pf.* 102. sanguinithæandrico eandem æquiparat: *sanguinem fudit unicus DEi Filius pro nobis, & anima gratiosa tanti valet*. Conficit hanc nobis vestem Sanctus Spiritus, cujus materia infiniti omnino est pretii, sanguis videlicet & merita Christi. Ductus enim Christus ad occisionem sicut ovis, tunsus & tonsus in passione, candidum & rubicundum corporis vellus deposuit, atque nobiles has divini corporis sui exuvias in indumentum nostrum à Spiritu Sancto adaptandas reliquit, quidam *virtute ex alto* Apostolos die Pentecostes induit, vestis hujus, sive gratiæ justificantis dispensationem in se recepit. Juvat repetere breviter & nervosè, quæ in gratiæ appetitionem illuminatissimus nostri ævi asceta, cujus sanctis luminibus plurimi debemus plurimum, in suo Theophilo consignavit. Per gratiam justificantem finis filii adoptivi DEi, adeoque ratione illius accipimus jus ad gloriam cœlestem, tanquam hæreditatem filiis debitam. *Si filii & hæredes*. Hinc infanti baptizato debetur gloria cœlestis tanquam hæreditas, quia in baptismo accepit gratiam. Fit autem hæc adoptio filiorum DEi non solâ opinione, ut apud homines, apud

P. Joan. Weier Exerc. Spiritual. hebdom. 2. p. 27.

Rom. 8. v. 17.

quos, qui adoptantur, non fiunt re ipsâ filii, neque Patris adoptantis aliquid acquirunt præter externas fortunas; at quos DEus adoptat, hos regenerat, & sibi similes facit, ut sint *no vacreatura*. Facit hæc vestis, gratia, inquam, animam pulchram, divitem, dilectam. Cum eâ vestirentur Apostoli, contestatus mox est Christus: *jam non dicam vos servos, vos amici mei estis*. O mira divinæ bonitatis dignatio, exclamat D. Gregorius, servi digni non sumus, & amici vocamur. Tam chari DEo sunt, quicumque sunt in gratia, ut si DEus ratione immensitatis suæ non foret ubique, nihilominus semper intimè præsens esset illi, qui est in gratia, nec vellet ab eo separari, sed mansionem apud eum faceret, ut societas ejus sit cum filio ejus JESU Christo per Spiritum Sanctum. Divitias quid memorem? pone mendicum, qui habet gratiam, & monarcham mundi sine gratia, quasi infinitis hoc ditior est mendicus ille. Pulchritudo porrò tanta est, ut si clarè eam videres, cor tuum rumperetur præ gaudio, pro ut Dominus aliquando S. Brigittæ dixit, Divæ Catharinæ Senensi autem pulchritudinem animæ gratiosæ cum revelâisset, extra se rapta fuit Catharina, & ab eo momento mundus ei fordui. Si omnis pulchritudo naturalis, quæ est in Angelis & hominibus, & aliis creaturis poneretur à Deo in una creatura, quam esset illa formosa! tamen respectu animæ habentis minimum gradum gratiæ sanctificantis, nulla ratione esset comparabilis, imò videretur esse quædam deformitas. Hæc pene ad verbum ex Asceta illo eximio.

Vidit Apocalyptica Aquila cap. 12. signum magnum in cœlo, mulierem sole amictam, lunâ calceatam, stellis duodecim coronatam, per quam

Joan. 15. v. 14.

§. 3.  
Varia animæ in gratia constituta Symbola.

quam licet passim benedictam in mulieribus Virginem DEi param intelligi, aut sponsam Christi Ecclesiam non ignorem, potest nihilominus quaelibet anima in DEi gratia constituta signo huic assimilari, quam sol justitiæ JESUS undequaque protegit, & communit, ut eam amicire videatur, virtutum quoque radiis cingit, & coronat. Lunam proterit, quia cuncta temporalia, ut loquitur D. Gregorius, & omnem creaturarum mutabilitatem despicit, duodecim redimitur stellis, quia duodecim fructus Spiritus Sancti, quos Apostolus enumerat, perpetim participat. Hoc nimirum est amictum esse sole sicut vestimento.

Regius Psalmographus animam gratiâ præditam Reginam appellavit auro vestitam, divinæ assistentem dexteræ, cujus decor, non tam foris, quam intus mirum quantam coruscatur: *adsistit Regina à dextris tuis* (o Regum Rex) *in vestitu deaurato, circumdata varietate. omnis gloria ejus filie Regis ab intus, in simbriis aureis circumamicta varietatibus.* Regina merito dicitur, quia per gratiam, velut pronubum anulum filio æterni Regis desponsata est: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia & judicio.* Quapropter in hodierno Evangelio dicitur Rex instruxisse nuptias filio suo, ut ei desponsaret Reginam auro vestitam, gratiâ videlicet instructam, & virtutum varietate, puta candore innocentie, rubore verecundie, virore spei, cærule contemplationis, pallore sancti timoris, prasino humilitatis exornatam. Potissima gloria non in externo virtutum moralium habitu, sed in interiori perfectissimorum habituum nitore, ac potissimum in aureis sanctissimarum cogitationum simbriis elucescit. Sic exornata, tantique à dextris Regine o-

mnes Angelorum chori applaudunt, & epithalamium canunt.

Considerant alii animam gratiosam velut speculum crystallinum soli objectum quod solem excipit, à radiis totum penetratur, & illuminatur, vicina quoque accendit. S. Theresia vidit globum crystallinum, in cujus medio sedebat speciosissimus DEi Filius radios spargens undequaque speciosissimos; hic est typus animæ, in qua sol justitiæ relucet. Alii hierothecam Eucharisticam sibi fingunt (in cujus medio SS. Eucharistia ab Angelis sustentetur) vel ex cæra Virgine sicut nonnunquam apes construxisse leguntur, aut ex achate, qualis est in Monasterio S. Laurentii prope Madritum, aut ex auro purissimo, crystallo nitidissima, carbunculo radiantissimo, & hanc esse ajunt gratiosæ animæ imaginem, in qua Sacrosancta Trinitas facere dignatur mansionem. Veneramur MARIE uterum, tanquam thronum eburneum, thalamumque aureum, in quo Incarnatus DEUS quievit; pœne suppar animæ gratiosæ est dignitas, quam matrem suam & sororem & fratrem DEi filius nuncupare dignatus est, propter expletam Patris cœlestis voluntatem.

Gratiosè ista pro gratia tanquam nuptiali veste dicuntur, sed neque rejiciendi illi sunt, qui pro veste nuptiali, imitationem Christi accipiunt juxta illud Doctoris Gentium monitum: *Induimini Dominum JESUM Christum*; quæ S. Thomas sic exponit: Dicitur autem induere Christum, qui Christum imitatur, quia sicut homo continetur vestimento, & sub ejus colore videtur, ita in eo, qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Hæc vestis odoratior, quam illa Esau, *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Qui enim Christum indutus est, non

Q 2

po-

S. Greg. 1.  
34. Moral.  
c. 12.  
Gal. I. v. 22.

Pl. 43. v.  
10. & 14.

Osee. 2. v.  
18. & 19.

§. 4.  
Potest  
præterea  
per Ve-  
stem Nu-  
ptialem  
intelligi  
Imitatio  
Christi.  
Rom. 13.  
v. 14.

Gen. 27.  
v. 27.

potest non suavissimam virtutum omnium exhalare fragrantiam, & esse bonus odor Christi, ideóque novas ac novas à Patre misericordiarum promereri benedictiones. *Ælianus* refert Theridate præcipuo Artaxerxis Regis aulico vitâ functo, vehementer indoluisse Regem, dixisseque Conjugi viduæ: quoties à me quidvis petitura venies, Theridatis vestibus accede induta, quod & Aspasia Conjux præstitit; nec unquam à throno regio, nisi obtentis omnibus, quas postulabat, gratiis recessit. Munificentissimum experiemur DEum, si ad thronum gratiarum supplices, Christum induti, accefferimus. Quod si enim nihil iis denegandum à Patre, asseverat veritas, qui interposito Filii nomine orabunt, quanto magis paternam exorabunt Clementiam, qui JESum induti acceptissimam Filii personam cultissimè repræsentabunt. *Induimini JESum Christum.* Intellexerat Paulus, ut ait Ambrosius, à Romanis Neronem indui togis suis, & paludamentis intertextum. Monet proinde: *Induimini JESum Christum*, non Neronem, sed JESum habitu, gestúque referte, ut vita JESU manifestetur in corporibus vestris, dicique de vestrum unoquoque possit: *sic oculos sic ille manus, sic ora ferebat.* Placebit id magno opere Patri cœlesti, cui externa etiam tunica arridet, si dicere possit, *quia tunica filii mei est.* In persona animæ gratiosæ est locutus Isaias: *Induit me vestimentis salutis*, vel ut legunt alii: *induit me vestimentum JESum.* Hac veste Agnes induta leoninos assumpsit animos, uti habet Breviarium Romanum. Induamur hac veste, & erimus Hercule leoninas exuvias induto fortiores, atque animosiores.

Cum Henricus IV. Rex Christianissimus certo internuntio acce-

pisset Alexandrum Farnesium Gallia imminere, ad arma ocyus conclamavit, primusque in acie hosti obviam processit. nè autem præfulgidis ac liliatis armis robur omne hostile in se concitaret, palam in campo arma exiit, oculisque lustravit, delegitque Heroem, quicum arma mutaret, prævalidum omnino militem, nomine Mesples, quem armis regiis induit, dicens: animos tuos meis pares habeo exploratos, nemo Te validius in medios hostium cuneos Regia inferet insignia. I, perge, & Regem te induisse memento. Perrexit ille, itaque fortiter dimicavit, ut gentilitia lilia, non jam candida, sed hostili sanguine rubentia referret, dignus in perennaturæ gloriæ fastos referri: O quæ gloria, quanti nos manent triumphi, si Christum induti, pro Christo dimicemus, victuri cum Christo, & immortaliter triumphaturi!

Nemo rectè sentientium est, qui non ingentibus afficeret honoribus simbriam vestimenti Salvatoris nostri, qualem Leo Isauricus Imperator Constant. summo dono ad Angelum Patriarcham Venetum transmisit. At longè pretiosior is DEO est, qui totum Christum induit membris omnibus: *Hunc etenim indutus.* ut Chrysostomus asserit, *omnem simul virtutem habet; Nam dum dicit Induimini, undique nos illo circumdari vult.* Quod ipsum Gregorius Magnus adtruit, ad illa verba Job. 29. *Justitiâ indutus sum, & vesti vi me sicut vestimento: vestimento utique cum vestimur, ex omni parte circumdamur.* Ille ergo Justitiâ, sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Invenire est aliquos, qui Christum oculis induunt, quos raro de terra levant; Alios, qui manibus, quas sæpe le-

*Ælian. variar. hist. c. 12. c. 1.*

*Gen. 37. Isa. 61. v. 10.*

*S. 5. Christum omni ex parte induamus.*

*Chrysof. hom. 24. in ep. ad Rom.*

*Greg. l. 19. moral. c. 12.*

vant

vant in altum exemplo Christi: sic oculos, sic ille manus. Perpauci sunt, qui in omnibus ad vivum referant. *Exhibe te undique virtutum nitore conspicuum* monet B. Petrus Dam. *Uniformi, ut ita loquar, veste sanctitatis ornatum, cui videlicet nullus cunjuslibet vitii pannus videatur assutus,* Aureè Chrysoftomus: *vult nos Paulus undique velut vestimento circumdari, & ipsum in nobis per sanctimoniam conspicuum esse; indutus enim id esse videtur, quod indutus est.* Hanc Augustinus vocem audiit, cum tollere & legere jussus, in illud incidit ad Rom. 13. *abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis.* & cum venisset ad id *Induimini,* ait ipse: *nec ultra volui legere, nec opus erat.* Aaron in monte nudatus obiit, Eleazaro ejus Filio in paternæ vestis hæreditatem subeunte. Opulenti Booz pallio Ruth paupercula sese operuit. Josephi polymita ad invidiam usque placuit, si Christi imitatione nuditas nostra contegatur, non poterimus Patri non placere. Didacus Vega narrat de Pilato, quod Romam evocatus à Tiberio Imperatore, ut rationem necis Christi illatæ redderet, vehementer furias Cæsaris timuerit, inconsutam itaque Christi tunicam subinduit, & ita se Cæsari stitit. Tiberius viso Pilato assurrexit, omnique posito furore, insolitâ illum humanitate ac clementiâ excepit, remisitque non sine honore. Vix abierat Pilatus ex oculis, mox ira Cæsaris recrudescit, sed ad conspectum denuò evanescit. Quod toties factum, donec fraus Præsidis innotuisset. Hanc ergo exutus tunicam Pilatus, capitalem à Cæsare sententiam audiit, & Viennam in exilium est relegatus. O peccatores! o DEICIDÆ! Christi induite tunicam, & poteritis cum electis revelatâ facie gloriam Domini specu-

lando in eandem imaginem transformari, & nuptiali veste induti immortalibus epulis accumbere hospites gratiosi.

Satis jam de vestis nuptialis significatione altera dictum existimo, ad tertiam accedo, & intentionem bonam propriè intelligi per nuptialem vestem contendo. Interulam propinquiorem corpori, quàm togam esse proverbio dicimus, & nobis propiori esse curæ oportet intentionem rectam, quàm opus ipsum. Stultus ille foret qui indusium gestaret foris, intrò ad corpus togam. Unde dum albâ induere Christum in Herodis regia, ut stultum habuere, & nos quandoque sic desipimus, imò & Christo illudimus, dum intentionem nostram per inanis gloriæ cupiditatem pro palamus, opera autem, unde proximus ædificari deberet & glorificari Pater cœlestis, celamus contra decantatum monitum S. Gregorii: *sic opus sit in publico, quatenus intentio maneat in occulto.* vestis extima tegit interiorem & defendit, similiter intentionem tueatur, celètque opus externum. Externa spectant homines, interiora DEUS, qui etsi opus quoque exigat externum, priùs tamen vult esse cor seu intentionem perfectam. Interior non exterior vestis in hodierno desiderabatur conviva, ex cujus defectu ad tenebras & lacrimas stridorésque amandatus est. Qui enim exteriorem tunicam sordibus contaminatam præ se tulisset, à vigilibus palatii custodibus nequaquam intromissus in aulam, quin & retrusus à convivis ceteris ocyus fuisset. Interior ergo vestis illi defuerit, bona videlicet intentio, quam solus ille perspicit, qui intima lustrat, renes & corda scrutatur.

Ecclesia Catholica est mulier illa fortis proverb. 31. descripta, quæ omne

S. 6.  
Optimè  
per Ve-  
stem nu-  
ptialem  
intelligi-  
tur bona  
intentio.

Greg.  
hom. 11. in  
Evang.

S. 7.  
Duplicem

Damian.  
opus. 15.  
c. 27.

Chrysoft.  
in cap. 13.  
ad Rom.

August.  
l. 8. Con.  
c. ult.

in ps. 3.  
penit.  
conc. 1.

à nobis vestem requirit Deus, opus & intentionem.

S. Bern. Serm. 3. de omnib. SS.

Apud Sylveir. tom. 3. l. 5. c. 26. num. 31. Exod. 25. v. 18.

Pf. 77. v. 60.

Jerem. c. 3. v. 31.

omnes domesticos suos vestit duplicibus, ut non tantum exterius boni, sed præcipue boni sint interius, non habeant duntaxat lanam foris, sed & linum intus: *quæsi vit lanam & linum*. S. Bernardus expendens illud Apoc. 6. v. 11. Datae sunt illis singulae stolae albæ, *acceperunt inquit jam singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus*. Domestici mulieris fortis Ecclesiae militantis duplicibus vestiendi sunt. Duplex vestis est, hyemalis & æstivalis. Vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluviam & grandinem tentationum, & persecutionum; hujusmodi sunt: Patientia, Mansuetudo, Humilitas, & alia id genus. Æstivalem dico virtutes quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contemplationi, qualis est: Charitas, pietas, devotio, sapientia. Hæc Hugo. Præcipitur Moyse: *facies quoque duos Cherubinos aureos*. Hi debebant tabernaculi esse custodes, eam formam ut sub alis occulerent legem, *testimonium quod dabo tibi*. Elegans mysterium! per tabernaculum significatur Christus: *Tabernaculum DEI cum hominibus*; hujus tabernaculi servi seu custodes debent esse Cherubini, intellectu scrutantes divina, & aurei quidem per sincerissimam intentionem, alas extendant per amplitudinem desideriorum, ita tamen ut infra alas habeant legem DEI, quam continuo observent, & afficiantur illi tanquam thesauro suo. De electis dictum est: *in visceribus eorum dabo legem meam*, in corde. ipsorum, inquit glossa. Et hoc est habere vestem duplicem, intentionem rectam & charitatem indeficientem in visceribus, legem vero ipsam in operibus. Ninivitæ ad prædicationem Jonæ compuncti vestiti sunt saccis à majori usque ad minorem. Quæ res ita movit DE-

um, ut dicat textus: *Vidit DEus opera eorum quia conversi sunt, & miseratus est super malitia eorum*. Notat aureus orator, quod viderit opera, non verba. Non dixit: vidit jejunium & cilicium & cinerem. hæc tamen non eò dico, ut jejunium tollam, avertat hoc DEus, sed ut vos ad id, quod jejunio præstantius est, faciendum hortet, ut scilicet ab omni vitio abstinere. Ita Chrysostomus.

Pharisæus jejunans bis quot sabbatis, decimas dans omnium, extimam vestem laneam habuit (incepsit in vestimentis ovium, totus humilis, mansuetus, beneficus) nec tamen DEO placuit, defectu vestis interioris, quam DEus primario spectat, sinceræ videlicet charitatis. Allusit huc Bernardus: *quidquid in ore devotum sonuerit* (quale erat illud: gratias ago &c.) *cordis non sufficit excusare tumorem apud eum, qui alta à longè cognoscit*. En ut Deus prius cognoscat intima, quæ alta seu profunda ac recondita possunt appellari.

Matth. 17. v. 21. transfigurati Christi vestis describitur: *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*, sicut lux legunt alii; hæc vestis exteriora signat opera, per quæ illuminantur homines; at quæ vestis interior? *resplenduit facies ejus, sicut sol*. Facies intentionem & affectum internum denotat, docetque tantam debere esse differentiam inter externa & interna opera, quanta est inter lucem & ipsum lucis fontem, solem. Qui foris apparet ut candidus Angelus, intus sit fulguris instar aut solis. *Viderunt (Judæi) faciem ejus (Stephani) sicut faciem Angeli*; & quare foris facies Angelica? causa præmittitur: *cum esset Stephanus plenus Spiritu S.* Combinat hanc causam S. Fulgentius: *Habens intra se Spiritum sanctum, vultum præ se*

Jonæ 3. v. 5

S. Chrysofost. hom. 4. in ep. 2. Corinth.

Luc. 18. v. 12.

S. Bernard. Serm. 13. in Cant.

Actor. 6. v. 15.

se gestabat Angelicum. plus intus latebat, quàm foris apparebat.

Cant. 1. v. 10. Tres DEitatis Personæ de anima devota loquuntur: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* SS. Augustinus & Bernardus per murenulas intelligunt numisma pretiosum ornando pectori, ad indicandam extraordinariam sanctitatem. Sed quid hoc significat, quòd numisma aureum debeat vermiculari argento? Nos argentea numismata deauramus, non verò aurea deargentamus. DEus è contra non vult foris esse aurum, sed intus. Hypocrisin derivat S. Antoninus 2. p. tit. 4. c. 6. quasi *suprà aurum ab extra in operibus se ostendit esse aurum sanctitatis, sed intus est lutum cupiditatis.* ut de eo repeti possit illud: *ecce iste coopertus est auro & argento & omnis spiritus (aurum charitatis optimum) non est in visceribus ejus.* &c.

Habas. 2.  
7. 19.

Attendamus proinde, ut vestis interior quàm mundissima sit, & integerrima, optima videlicet ad DEum intentio, & non deerit ad æternum convivium vestis nuptialis, sed tanquam gratiosissimi hospites, acceptissimique convivæ epulabi-

mur & jucundabimur in perpetuas æternitates.

In Emblema Cygnus & Corvus veniant, quorum hic pennas nigras, pellem verò candidam habet; econtra Cygnus sub albicantibus pennis atram cutem fovet; lemma: *in cute noscendus.* Multi candidare videntur verbis & operibus, sed si interiorem inspicere daretur affectum, nigriora carbonibus omnia deprehenderentur. Alii simplicitate se suâ involventes dilectum Superis hominibusque fovent candorem, veri cælorum Candidati, quorum velut cælorum *decor omnis ab intus.* Inclusæ intra concham gemmularæ inscribitur: *valor omnis ab intus.* Malo grana to aliisque asperi corticis fructibus apponitur: *sapor omnis ab intus.* Horologio rotatili thecæ simplici incluso adjicitur: *Ars omnis ab intus.* Idem de recta intentione rectissimè protuleris: *decor, valor, sapor, ars omnis ab intus.*

S. S.  
Emblema.



PRO-